Vangrovecii Ioannis: Quaestio theologica de satisfactione Christi.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

De Satisfactione Christi.

Ex tertia parte D. Thomæ Aquinatis desumpta.

Præsidente Magnifico & Adm̃. R̃ndo. Dño.

IACOBO VSTIENSI,

S. Th. & I. V. Doctore ac Professore, eiusdem Augustæ Facultatis, Decano Custode S. Floriani, &c. Studij Cracou. Generali.

RECTORE.

Et obseruandissimo Præceptore.

A

Rñdo. Patre Fratre IO*ANNE VANGROVECIO,*
Conuentus Andreouiensis, Sacri Ordinis Cisterciensis, Professo Sacræ Theologiæ Baccalaureo.

Publicè ad disputandum in Alma Academia Cracouiensi Regni Poloniæ Schola Generali,

PROPOSITA.

Pro consequendo gradu Licentiaturæ in Sacra Theologia.

LECTORIO DD. THEOLOGORVM,
Mense Septemb. die 16. hora Anno Dñi. 1643.

hic studia et promotiones habebant

3b6

CRACOVIÆ, *In Officina Francisci Cæsari.*

IN STEMMA Illuſtriſſ. SRZENIAWA.



Non ſolus doctis Helicon ſudare fluentis
Dicitur, aut ſciſsâ rupe recludit aquas.
Dudum Sarmatico virtus Opolſcia agone.
Srzeniauas fauſto Marte notauit aquas.
Ergo per obſtantes placidè mea carbaſa fluctus
Pergite cognato flumine, vela damus.

Caſimirus de Mſtow Mſtowſki,
Eloquentiæ Studioſus.

Perillustri & Reuerendissimo Domino,

D. IOACHIMO DE MSTOW, MSTOWSKI.

Diuina vocatione

ABBATI CIRICIENSI,

Sacri Ordinis Cisterciensis.

Domino & Patrono suo colendissimo.

Necnon toti Congregationi MARIANÆ CIRICIENSI.

BONO omine esse iubeas Perillustris ac Reuerendiss. Dne. quòd in Tuum gentilicium flluuiū Theologicæ Sapientiæ nauim felicem cursum habituram expedio. Explico carbasa, quæ in torrentem gloriæ Tuæ placidis adspiratum etesijs totius vniuersi commodo detonsi Agni merita, id est Colchico vellere longè pretiosiores merces inuehant. Quin summis istius ratis gubernaculis præesse, hæc eadem Te Sapientia postulat, quæ in exteris nationibus excelsum & sublime Doctoris nomen, prorsusq; peritissimi in Oceano scientiarum Nauarchi lauream Tibi contulit. Neq; verò SRZENIAVÆ MSTOVIANO præstantioris atq; certioris fortunæ nauis incumbere,

quàm

quàm sit Diuinæ Sapiētiæ, nec huic felicior alibi cursus obtingere potuit. Nihil hic malè ominati periculi, omnia securæ sunt amænitatis. Ijs nimirum itineribus etiam ipse hoc flumine fretus enauigasti, vt tranquillis quadraginta annorum religiosi negotij laboribus circumlatus, iam nunc felici, olimq; felicissimâ statione gaudeas. Iam quid spei Religiosissimo Cœnobio, cuius ad clauum sedes affulserit, velut è specula prospeximus; quòd & idem regendæ classis officia susceperis, & cum moderatione fluctuum necessum sit, æquissimus arbiter placido imperio rēmos & antēnas tēperes. Hoc scilicet Tuus Neptunus proprium habet, ne violentos Aquilonū turbines & sæuas tempestatum procellas patisciat. Ille nempe ad salutem plurimorum Oceanus est, qui euersas momento classes componit, non qui opprimit. Certè Palat. Lubomirscianæ nobilitatis & opulentiæ flumen, dum latè vniuersum Poloniæ orbem beneficijs peruagaretur, in hoc etiam domiciliū Ciriciense sinuosâ liberalitatis auriq; excursione influxerat, hodieq; beneficum esse non desistit. Quippè suos in Te quoq; riuulos deriuauit, quibus nostri cymba Ordinis Sacri securè incūberet, Teq; doctissimo Nauarcho directa, & scopulos vndiq; infestos vitaret, & trāquillum in illis fortunatis beatorum insulis, vna cum suo cætu portum expectaret.

Perillustr. & Reuerendiss. Dñationis. Tuæ,
humillimus, cliens & exorator.

P. F. Ioannes Vangroueccius Conuent. Andreouieñ. S. Ord. Cistercieñ. Profess. S. Theolog. Baccalaureus.

QVÆSTIO
DE
SATISFACTIONE CHRISTI.

V. Offensa Dei peccato originali & actuali mortifero contracta, ita sit infinita, vt nullius puræ creaturæ, præterquam Christi Domini satisfactione, ab eius quidem humanitate vt quo procedente sed valorem ac dignitatem ex persona habente, ex rigore iustitiæ fuerit exsolubilis nec ne?

CONCLVSIO I.

Offensa Dei contracta peccatis originali & actuali mortifero est quidem infinita in ratione offensæ non tamen simpliciter,

COROLLARIA.

1. Totalis malitia neque in peccatum originale neque actuale cadit.

2. Neutri ex dictis debetur pœna simpliciter infinita.

3. Stando intra metas iustitiæ, Deus potest acceptare pœnam secundum quid infinitam.

4. Damnati de facto non subeunt pœnam simpliciter infinitam.

5. Tam peccatū originale quam mortiferum actuale non tollit bonum naturæ.

6. Cum infinitate Dei offensæ per peccata mortifera contractæ, stat inæqualitas peccatorum actualium.

CONCLVSIO II.

Offensa Dei peccatis originali & actuali mortifero contracta, à nulla pura creatura est condignè persolubilis.

COROLLARIA.

1. Purus homo nec suo tantò minus alieno peccato contractam Dei offensam potest persoluere.

2. Non potest vllus gratiæ gradus tātus dari in homine puro sufficiens, ad offensam Dei condigne exsoluendam.

3. Actus

3. Actus charitatis à puro homine in quacũq; gratia possibili constituto nequit æque Deo placere atq; displicet offensa.

4. Etiamsi daretur hominũ infinitorũ contritio perfecta hæc tamen non esset sufficiens ad condignã persolutionem Dei offensæ.

5. Nil vetat ab homine puro in gratia constituto satisfactionem pro exsoluenda offensa à Deo fore acceptabilem.

6. Satisfactio per opera merè naturalia præstanda, neq; per absolutam Dei potentiam est sufficiens, etiam ex iustitia imperfecta ad offensam Dei totius generis humani contractam exsoluendam.

CONCLVSIO III.

Humanitas Christi Domini fuit tantùm principium vt quo operum satisfactionis.

COROLLARIA.

1. Formale principium operum Christi satisfactionis est humanitas eiusdem.

2. Falluntur qui ad humanitatẽ Christi ceu principium vt quod reducunt satisfactionem.

3. Christi humanitas purè loquendo non fuit passa mortua, sepulta.

4. Prin-

4. *Principiũ quod immediatũ satisfactionis Christi fuisse Christi humanitatem merito est negandum.*

5. *Quando in sacra scriptura Christus Dominus vocatur mediator, redemptor, propitiatio, pro peccatis loquitur de principio vt quod satisfactionis.*

6. *Propositio ista Christus in quantũ Deus homo satisfecit ex rigore iustitiæ, est admittenda.*

CONCLVSIO IV.

Satisfactio Christi valorem & dignitatem habuit ex eiusdem persona.

COROLLARIA.

1. *Satisfactio Christi ex re oblata sumit aliquam dignitatem ac valorem.*

2. *Hoc idem asserendum est de valore sacrificij ac meriti.*

3. *Gradus valoris & dignitatis qui est in Christi persona, nequit esse idem in operibus satisfactionis.*

4. *Satisfactio Christi pro peccatis, licet fuerit ex obiecto siue ex materia circa quam sufficentissima, non tamen infinita simpliciter.*

5. *Non tamen negamus dignitatem secundum quid habere satisfactionem Christi ex obiecto.*

6. Sacri-

6. Sacrificium legis nouæ longè excedit in valore ac dignitate sacrificia legis veteris.

CONCLVSIO V.

Offensa Dei peccatis originali & actualibus mortiferis contracta, ex rigore iustitiæ sola Christi satisfactione est exsolubilis?

COROLLARIA.

1. Satisfactio Christi pro offensa Dei habet æqualitatem, seclusa compromissione atq; acceptatione.

2. Christi satisfactione tantum bonum redditum, quantum malum fuit in peccato.

3. In satisfactione Christi vera & propria iustitiæ ratio intercessit.

4. Actus Christi obedientiæ, humilitatis, charitatis, erant imperati à voluntate compensandi iniuriam peccatis Deo factam.

5. Nullius hominis opus de factò est satisfactorium absq; influxu Christi satisfactionis.

6. Per absolutam Dei potentiam iusti actionem in satisfactionem pro peccato non repugnat acceptari.

SVB FELICIBVS AVSPICIIS

Admodum Rndi. ac Magnifici Dni.

D. IACOBI VSTIENSIS, S. Th. & I. V. Doctoris, ac Profess. dignissimi, Eccl. Colleg. S. Floriani Custodis, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Vigilantissimi

RECTORIS.